Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 95

Quelle:
Copyright:

et quidem ipſius Regionis merito. *Adornata comperitur ſummi culminis apice ſecularis*, ait, *poteſtatis in terris. Pollet enim clariſſima ſanguinis generoſitate inuictiſſimi principis et domini domini noſtri friderici Imperatoris romanorum ſemper auguſti. Inſuper non minus claret et floret nobilitate puriſſimi ſanguinis Sereniſſimi principis et domini domini noſtri Ladislai regis Vngarie, Bohemie &c. ac ducis Auſtrie &c. qui ducatus fines tutele pontificalis cure Veſtre non egreditur. Ceterum quanta fulgeat copia glorioſiſſima Illuſtrium principum et dominorum Bauarie ac auſtrie potentiſſimorum, neminem puto latere. Sed quid Pater celeberrime tanta poteſtas terreni culminis tanta generoſitas preclariſſimi ſanguinis profectus ac incrementi ſuo toti afferre poteſt, ſi rebus gerendis in illis ordo non ſeruetur, ſi inter ſe diſſenciant, et frater contra fratrem diſceptet, dominus contra dominum, plebeius contra plebeium* &c. Et concludit: *Quare ego nomine et vice vniuerſitatis ſtudij wienn. matris mee D. V. R. oro precor et humilius obſecro per immortalem deum cuius cauſa nunc prope eſt in manibus veſtris, per populi veſtri et prouincie nomen celeberrimum, per pietatem ſi qua eſt in terris, vt non tardet R. D. V. manus efficaces porrigere ad tantam diuerſitatem de medio ſubmouendam et ad votiuam vnionem procurandam* &c. Procurata eſt haec ad tempus *Ladislai* juvenis traditione. Legationis tamen noſtrae mentionem nullibi reperi, quae auctoritatis in Academico Corpore ea tempeſtate reſidentis argumentum eſt. *Fol.* 369. *Sermo bonus de pace et iuſtitia.* In illud: *Veritatem et judicium pacis judicate.* Zach. VIII. et in illud: *Diligite juſtitiam, qui judicatis terram.* Sap. I. Init: *Ex verbis jam dictis ſumo thematis verba iſta* &c. Eſt ad Academicos, *factus*, ut in calce habes, *ſub anno 1450. per M. Conradum Wann, ſed per fratrem eiusdem editus. Fol.* 381. *Sermo factus*, ut e calce praeoccupo, *anno 1449. in vigilia conceptionis beate virginis Wienne aput beatam virginem in littore per M. p. de Kemnat.* Lego *Paulum Wann* praecedentis fratrem, de quo infra. Aedes haec B. V. alias *ad Scalas* dicta quondam Dioec. *Paſſav.* fuit. Sermo ipſe ad Academiam habitus, et Virginis ortum ſine labe propugnans Thema habet illud: *Sanctificauit tabernaculum ſuum altiſſimus.* Pſ. XLV. et incipit: *Exultemus in domino et ſpirituali iucunditate letemur* &c. *Fol.* 388. ſequuntur Acta ad Concilium Provinciale *Salisburgenſe* praeſide *Nicolao Cuſano* S. Petri ad Vincula Presb. Card. et *Nicolai* V. Pont. per *Alemanniam* Legato a. 1451. menſe *Febr.* celebratum, et quidem ad negotium Jubilaei ibidem promulgati pertinentia. Silere de hoc Concilio Hiſtoricos *Salisburgenſes*, ait *Hanſizius Germ. Sacr.* T. II. p. 483. ipſe, quae adfert, e *Duellii Miſcell.* L. II. mutuatus. At nihil ibi de Jubilaeo. Expectari poterant aliqua